

monia mentali, si quid injustè acceptum sit: secùs, si nulla injustitia commissa sit in facto simoniaco, nihil erit restituendum: quo sensu procedit *c. fin h. t.*

36. Q. III. *Quis sit iudex in crimine simoniæ?*

R. 1.º Solus ecclesiasticus privativè, etsi simonia commissa sit à laico; nam simoniaca hæresis, sicut vera hæresis, est crimen merè ecclesiasticum: non ex jure civili, sed ex jure div. et Can. judicandum, etiam in quæstione facti, quæ vix unquam separatur à quæstione juris: executio tamen punitiva fieri potest à iudice laico. — 2.º Quilibet accusare et testem agere in hoc delicto potest, etsi aliàs sit inhabilis (*cap. 3. et 7. hoc tit.*) nisi capitalis esset inimicus (*cap. 31. hoc tit.*), vel paganus aut hæreticus. Et quia crimen hoc plerùmque fit occultè, estque difficilis probationis, sufficiunt probationes per signa, conjecturas et alia indicia, præsumptionem vehementem facientia; dummodò indicia ista plenè probentur. Porrò hujus criminis postulari potest dans et recipiens, et is, pro quo sciente, et non contradicente, alius dedit (*c. 8. 23. h. t. etc.*): non verò is, pro quo ignorante datum est (*c. 27. eod.*)

37. Q. IV. *An fieri possit dispensatio in simonia?*

R. 1.º In simonia juris naturalis quoad peccatum nulla valet dispensatio; et ideo etiam Papa, licèt pœnas non incurrat, tamen peccatum simoniæ committere potest; nam simonia est intrinsicè mala, stans sub præcepto negativo, cujus materia in nullis circumstantiis coonestari potest.

2.º Si Papa dispenset, separando jus temporale, v. g. prævendæ aut decimarum, à jure spirituali, dispensatio excusat à peccato; quia tali separatione facta, remanet purum temporale pretio æstimabile: secùs ante separationem res annexæ spirituali sunt de jure naturali invendibiles. — II. Dispensatio et consuetudo in his solùm, quæ jus ecclesiasticum prohibet dare vel accipere, v. g. gratis oblatum post ordinationem, redditus stolæ etc. excusat à pœnis et à peccato: cùm dispensatio et legitima consuetudo relaxare possit jus humanum.

3.º In pœnis simoniæ non dispensat Papa, nisi ex causis gravissimis, quia Ecclesia semper detestata est hoc crimen, utpotè maximè noxium reipublicæ christianæ, ejusque spirituali regimini. Causa dispensandi esse potest gravissimum scandalum, perturbatio reipublicæ et paupertas supplicantis, ut is non tantùm absolvatur à censuris, sed etiam dispensetur in inhabilitate ad idem vel alia beneficia. — II. Si simonia est publica, recurritur ad Datarium cum expressione fructuum perceptorum, pro quibus hodie plerùmque fit transactio, ut tertia vel major pars supplicanti remittatur. Si verò est simonia occulta, recurritur ad sac. Pœnitentiariam, quæ ex Const. S. Pii V. *In sublimi*, dispensat etiam cum scienter simoniacis, dummodò prius beneficium dimittant, et fructus inde perceptos ecclesiæ sui beneficii restituant, aut cum Datario com-

ponant. Si autem neutrum se facere posse allegent, dispensat cum eis, addita clausula, ut fructus restituant Ecclesiæ, cùm primum poterunt. — Hodie attendenda est Const. Ben. XIV. *Pastor bonus*. — III. In executione litterarum observandus est earum tenor: et quidem, si dentur pro foro interno, audita priùs sacramentali confessione, absolutio dabitur à censuris, peccatis et pœnis ecclesiasticis, injuncta pœnitentia salutari, additoque præcepto, ut pœnitens moneat correos, ut ipsi consulant saluti animarum suarum, petendo dispensationem apostolicam. — Vide Corrad. in Prax. Dispens. lib. 5. cap. 9. et seqq. Reiff. et alios.

TITULUS IV.

NE PRÆLATI VICES SUAS VEL ECCLESIAS SUB ANNUO SENSU
CONCEDANT. ^a

38. Q. I. *An simonia sit sub annuo censu seu pretio concedere jurisdictionem spiritualem, dignitatibus, officiis et beneficiis annexam?*

R. Affirmativè, ex præsentis *Rubr. et cap. 1. 2. 3. hoc tit.* Trid. loc. cit.: nam tali casu venditur spirituale pro pretio temporali locationis. Porrò pœna hujus delicti est, quòd concedens jurisdictionem, pro qualitate delicti, vel suspendatur ab officio, vel deponatur; dans verò pecuniam pro jurisdictione, amittat illam, et à Clero amoveatur (*cap. 1. 2. hoc. tit.*), et uterque excludatur ab Ecclesia, *in cujus contumeliam dare pecuniam et accipere voluerunt* (*cap. 38. de simon.*)

Dices: I. Concessio et remissio jurisdictionis sub annuo censu approbatur (*cap. 30. §. qui vero, de Præb. et cap. 6. de Religios. domib. et cap. fin. hoc. tit. et cap. 21. de Censib.*) — II. Clerici Camerae Apostolicæ et Auditores Rotæ solent vendere suum officium.

R. Ad I. N. A. Nam *cit. cap. 30.* agitur de justo stipendio Vicariis debito (*cit. cap. 6.*). Monachi solvunt annum censum in recognitionem prioris subjectionis et in signum gratiosæ exemptionis: *cap. fin.* agitur de locatione ipsorum fructuum materialium: *cap. 21. cit.* cereus trium librarum petitur loco aliorum servitiorum temporalium. — Ad II. Dum Papa separat jus ad emolumenta temporalia, hoc licitè venditur, non verò ipsum jus spirituale.

39. Q. II. *An jurisdictio temporalis ab Episcopis et aliis Prælatibus locari possit?*

a. — Agitur de hac materia in Decreto *dist. 89. et 1. q. 3.*, et *Can. fin. 21. q. 2.* — In Trid. *sess. 25. cap. 11. v. non liceat, de reform.* et continuatur hic et in *seq. tit.* materia simoniæ committi solitæ in concessione jurisdict. et licentiæ docendi

R. Si jurisdictio ista ab Ecclesia habetur, tanquam jus annexum officio spirituali, licet non locatur; quia per connexionem evadit spiritualis: si verò aliunde habetur, locari potest citra simoniam, cum temporale non detur pro spirituali, sed temporali. Verum locatio ista plerumque est turpis et illicita Ecclesiaeque noxia, cum conductor lucris inhians, minus rectè in judiciis et aliis actibus jurisdictionem administret. Ceterum fructus praelaturæ vel parochiæ ex causa licet locantur, servatis servandis, ut aliàs dictum *tit. de reb. eccl. et tit. de locat. et decisum est c. fn. h. t.*

40. Q. III. *An rector principalis Ecclesiae possit Vicario omnes fructus cedere, et nomine eorum seu ut vocant titulo absentiae, annuam pensionem petere?*

R. Affirmativè; nam pensio ista non datur pro ipso officio vicariatus, sed pro fructibus Vicario cessis, qui temporali pretio sunt aestimabiles et locabiles.

TITULUS V.

DE MAGISTRIS, ETC.

41. Q. I. *Quis possit creare magistros et doctores?*

R. 1.º Summus princeps: et quidem Papa ex theologia: principes verò politici ex scientiis naturalibus, ut jure civili, philosophia, medicina, doctores creare possunt.—2.º Universitates studiorum generalium, quæ auctoritate principum, et plerumque privilegiis Pontificum jus istud exercent. Actus verò promotionis annexus est certo officio: sic enim Bononiæ Archidiaconus, Parisiis cancellarius, Salmanticae scholasticus, alibi decanus doctores creat. Neque requiritur, ut promotor eodem gradu polleat, quia doctores in theologia quoscumque gradus conferre possunt, nisi aliud habeat consuetudo.—3.º Ex privilegio speciali Comites Palatini; Rectores certorum Collegiorum, Generalis Ordinis Prædicatorum magistros seu doctores creare possunt etc.

Quod privilegium ex Constit. Clement. XII. *Verbo Dei*, nedum est pro creandis in magistros et doctores in sac. theologia regularibus, sed etiam pro secularibus adolescentibus theologiæ facultati in ejusdem Ordinis studiis, ac scholis ubique locorum existentibus triennalem operam dantibus. "

a.—Agitur de hac materia in Clem. *hoc tit.*—In Decreto *dist. 37. et Can. 8. de 61., et dist. 86. fere per tot., et Can. 12. oportet 8. q. 1.*—De Magistris constituendis, qui Clericos et rudes infideles instruant, agit Trid. *sess. 5. cap. 1. sess. 24. cap. 4. 5. sess. 25. c. 6. et 9., et sess. 7. c. 13. sess. 23. c. 18. de refor. etc.*—In Codic. *lib. 10. tit. 52.*

Forma promotionis servatur secundum consuetudinem locorum, ut, præmisso riguroso examine, et professione fidei, insignia doctoralia promovendo traduntur: expensæ verò non excedant summam trium millium turonensium argenteorum, seu 250 aureorum (*Clem. 2. hoc. tit.*), ne doctores promoti suis vacui facultatibus remaneant. Hæc tamen *Clementina* non est ubique usu recepta.

42. Q. II. *Qui doctores creari possint?*

R. Omnes, qui specialiter non prohibentur. Prohibentur autem fæminæ ex *reg. 1. ff. Can. 17. mulierem 33. q. 5.*, Judæi et alii infideles, criminosi et infames, quibus portæ dignitatum patere non debent; scientia sufficienti destituti et illegitimi, nisi cum illis dispensetur.

43. Q. III. *Quæ sint ordines graduatorum?*

R. 1.º Tres: in infimo sunt *baccalaurei*, dicti à bacca lauri, ob spem fructuum in scientiis afferendorum. Ab aliis dicuntur *bacularii*, ob licitum usum baculi; *baccalarii*, seu milites tirones: *battalarii*, seu præliantes. Gradus iste confertur ex philosophia et theologia: in ceteris facultatibus non usurpatur.—2.º Medio ordine sunt *licentiati*, quia licet eis, quodcumque voluerint, in doctores promoveri.—3.º In supremo ordine sunt *magistri* seu doctores, qui ab universitate publicum scientiæ testimonium habent, quod apti sint ad docendum: uti sunt doctores sacræ theologiæ, juris utriusque, medicinæ et philosophiæ. Quis autem ordo inter doctores diversarum facultatum observandus sit, locorum consuetudo docebit. Plerumque primus locus debetur theologo, secundus Canonistæ, tertius Civilistæ, quartus medico, quintus philosopho, sumpta præcedentia ex objecto et fine scientiarum.

44. Q. IV. *Quæ sint privilegia doctorum?*

R. 1.º Dignitas latè sumpta (*c. 3. h. t.*), et nobilitas, *l. 2. §. fn. l. 4. §. 1. ff. de excus. tutor.*, ubi Ulpianus dicitur nobilissimus; et ideo deferunt insignia nobilium.—II. Prælatio ad officia et dignitates; et ideo graduati in pari *data* præferuntur non graduatis per *reg. 17. Cancell.*—III. Stat pro illis præsumptio virtutis, eisque honor et reverentia debetur (*argum. lib. 2. 3. C. de offic. divers. judic.*), et ideo non mittuntur in carcerem propter æs alienum, mitiori pœna in delictis puniuntur, à tortura, pœna triennium, fustigationis, laquei, et aliis ignominiosis eximuntur, licet in his omnibus consuetudo et placitum principis observanda sint. Hæc privilegia non competunt doctoribus, qui per Bullas solùm creantur, ex Constit. S. Pii V. *Quamvis* 568. conformiter Trident. *Sess. 22. c. 2. de reform.*, nisi prævio examine Academicarum approbati sint.

2.º Privilegia et prærogativæ Professorum sunt:—I. Præsumptio singularis peritiæ.—II. Exemptio à muneribus realibus, quàm personalibus (*lib. 6. et fn. C. de medic. et profess.*)—III. Jus civitatis in loco, in quo profitentur.—IV. Præcedentia, vi cujus doctores professores præferuntur aliis doctoribus, etiam pro senioribus non professoribus (*argum. lib. 1. C. de consulib.*)—V. Jus solidi salarii, si professor

intra annum moriatur. Sed circa hæc consuetudo locorum observanda est.—VI. Lectores sacræ theologiæ, quamdiù docent, integros fructus suæ præbendæ percipiunt; imò, et distributiones quotidianas pro illis diebus, quibus legunt, sicubi viget privilegium Gregorii XIII. à P. Wiestner allegatum. Porrò nomine doctorum saltèm in favorabilibus veniunt etiam licentiati, non tamen in odiosis; Alciat. et alii.

45. Q. V. *An religiosi, qui à religione sua doctrinæ theologicæ et Canonice testimonium habent, æquiparentur doctoribus graduatis?*

R. Æquiparari in ordine ad dignitates ecclesiasticas, ut episcopatum et alia officia qualitatem doctoratus in subjecto requirentia: ità Trid. Sess. 22. cap. 2 de reform. ibi: *Quod si regularis fuerit, à superioribus suæ religionis similem fidem habeat*, putà de doctrina sacræ theologiæ vel juris Canonici; nam ad dignitates ecclesiasticas non gradus, sed doctrina est necessaria, qualem utique religiosi extra publicas academias plenè haurire possunt; ergò sicut universitas studiorum per collationem gradus dare potest testimonium doctrinæ, ità quoque prælati regulares de doctrina sui religiosi plenam fidem dare possunt. Unde etiam confessarii regg. in privilegiis communicantes, ceteroquin idonei, æquiparantur doctoribus in sacræ theologia, et jure Canonico in ordine ad exequendum litteras sacræ Pœnitentiariæ, prout etiam Gregorii XIII. Constit. 74. *Exponi 3 April. 1582.* concessit Societati Jesu, quia ejus religiosi *ad hujusmodi gradus, nisi pro necessitate scholarum suarum promoveri non solent.*

46. Q. VI. *An pro gradu litterario vel licentia docendi licitè aliquod pretium exigi possit?*

R. 1.º Negative, ex cap. 3. *hoc tit.*, non obstante contraria consuetudine, quæ reprobatur cap. 3. *hoc tit.*; nam turpe est, ut à viris doctis aliquod pretium exigatur, sive pro publico scientiæ testimonio, quod datur per graduationem, sive pro facultate docendi scientias et artes reipublicæ christianæ necessarias, cum potius viri docti premiis allici deberent ad docendum. Unde ex hoc titulo acceptum restituendum est, et accipiens privandus dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis (cap. 1. 2. *h. t.*); notat tamen Gonzal., Zoes et alii cum praxi, quod pro labore, qui subitur in candidatis examinandis, approbandis et inaugurandis in doctores, aliquid per modum stipendii peti possit.

2.º In accipiendo pecuniam pro licentia data ad docendum, regulariter non committitur simonia; nam licentia ista, sicut et gradus litterarii, sunt merè quid temporale.—Excipe, nisi licentia ista descendat ex jurisdictione spirituali: tunc enim pretio illam vendere est simoniacum, ut si prælatus ex officio suo teneatur conferre cathedram, seu professuram cum beneficio ecclesiastico.

Dices: I. In cap. 1. *hoc tit.* pœna accipientis pecuniam pro licentia docendi est privatio beneficii quæ est propria simoniæ.—II. In cap. 2. *hoc tit.* proponitur ratio generalis remotiva simoniæ: *gratis accepistis, gratis date.*

R. *Ad I.* Pœna ista, licèt simoniæ infligatur, tamen etiam infligi

potest alteri delicto, putà injustitiæ, dum pecunia pro licentia docendi accipitur.—*Ad II.* Ratio ista à contrario non infert simoniam, cum ad hanc requiratur, ut temporale detur pro spirituali.

47. Q. VII. *An pro actu docendi pecunia dari et recipi possit citra simoniam?*

R. 1.º Pro doctura scientiarum naturalium, ut philosophiæ, juris civilis etc., dare et accipere pecuniam non est simonia; nam datur temporale pro temporali, cum actus talium scientiarum, licèt spirituales sint naturaliter, non tamen supernaturaliter cum ordine ad cultum divinum et salutem animarum.

2.º Pro doctura theologiæ, sive *per se infusæ*, quæ dicitur *interpretatio sermonum*, sive ordinariæ acquisitæ, dum ordinatur ad finem supernaturalem: v. g. ad infideles et hæreticos convertendos, ad fideles excitandos ad amorem Dei, virtutum exercitium, et vitiorum extirpationem, nihil temporale citra simoniam accipi potest; nam tali casu venderetur actus ex fine suo supernaturalis (S. D. 2. 2. *quest. 10. a. 3. in corp.*) Cum ergò talem theologiam potissimum tradant catechistæ, concionatores et confessarii, nihil pro illa accipere possunt, nisi titulo sustentationis et stipendii; quia dignus est operarius mercede sua. Item concionator gratis aliquod munusculum oblatum grater accipere potest, uti et titulo laboris extrinseci et obligationis ad nutum alterius.

3.º Si professio theologiæ, responsum theologicum aut Canonicum ordinetur præcisè ad illustrandum intellectum audientium, sicut communiter fit in scholis, pecuniam pro illis accipere non est simonia (S. D. *loc. cit. ad 3.*); nam cum traditio ista doctrinæ theologicæ non ordinetur per se ad salutem animarum, est quidem labor naturalis, seu opera locata pretio æstimabilis: imò si clericus acciperet præbendam, cui annexum est onus cathedræ seu obligatio docendi, accipiendo pecuniam à discipulis, non esset simoniacus, sed tantum injustè ageret; nam obligatio docendi, licèt præbendæ sit annexa, manet semper temporalis; ergò. Quia verò talis clericus ex præbenda stipendium habet, aliud à discipulis accipiendo, illicitè et injustè agit, quasi vendendo ipsam veritatem et scientiam (§. 4. *h. t. S. D. loc. c. ad 3.*)

Dices:—I. Discursus theologici in probabili sententia sunt entitativè supernaturales; ergò pretio communicari non possunt.—II. Casus conscientiæ ex natura sua ordinantur ad dirigendam conscientiam; ergò simoniacè traduntur pro pecunia.

R. *Ad I. Tr. A. et N. C.* Nam modo supernaturali, et ad finem supernaturalem non traduntur in scholis, sed modo naturali ad illustrandum intellectum, qualiter etiam hæreticus et apostata à fide theologiam tradere potest. Sic licèt sacra Scriptorum sit supernaturalis, potest tamen quis eam describere, vel imprimere pro pretio temporali; ergò et docere seu explicare præcisè ad illuminandos auditores.—*Ad II.* Si confessarius resolvat casus ad dirigendam conscientiam pœnitentium, omninò simoniacè pro hac resolutione pecuniam acciperet, cum doctri-